

pretres in beneficiis curatis non excusari peccatum mortale. Id ipsum asseritur à nonnullis in omnibus beneficiis.

24 Ergo illa jura eligendi, præsentandi, nominandi, conferendique non redundant in commoda, sed onera reddendarum in districto Dei judicio rationum. Refert Theodoretus (a): *Concilium Episcoporum contendit ab Imperatore, Valentiniano I. ut ipse, utpote sapientiæ, & pietatis insignibus præclare exornatus Episcopum Mediolanensem deligat. At ille: major est, inquit, hæc Provincia, quam quæ viribus nostris sustineri queat. Proinde vos divina repleti gratia, & illius splendore illuminati, multo magis hoc Episcopi deligendi negotium transigaretis.*

25 Hoc exemplo & recentiores Principes, utpote Ludovicus VI. & Ludovicus IX. in Gallia valde abhorruerunt à provisionibus ecclesiasticis. Narrant (b), Catharinam Reginam Lusitanæ dicere consuevisse, quod optaret, ut durante suo regimine Prælati Portugalie essent immortales: quo fieret, ut nullum ad Episcopatum promovere teneretur: dicens, sibi plus, quam satis esse, si pro se ipsa, & toto suo regno deberet respondere; licet se responsalem non constituere pro salute animarum.

26 Quid, quod & ipse S. Gregorius rescripsit ad Clerum Mediolanensem (c): *Antiquæ meæ deliberationis intentio est, ad suscipienda Pastoralis curæ meæ onera, pro nullius unquam misceri persona &c.*

27 Hincmarus eo ævo Presbyteris suis vitio dedit (d), quod ipsi, sollicitando Patronos, in causa essent, quod digniores, & meliores Clerici non præficerentur. Quia inquit, quique fideles, si vestra culpa non esset, plus quærerent bonos Clericos, quam vestros Denarios: & hoc non suffertis: sed vos, & vestros nutritos in maledictionem mittitis, cum dato Patronis præmio, vobis, & illis peccatum emitis.

28 Proh dolor, quod nonnunquam Episcopi pessimo exemplo laicis Patronis tantæ indiscretionis sint! Quippe, qui ipsi, neglecto delectu digniorum Ministrorum, consanguineis, aut familiaribus suis passim opulentiora beneficia vel procurant vel donant. Querebatur S. Hieronymus (e): *Sed nunc cernimus, plurimos hanc rem beneficium facere, ut non quærant eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesie prodesse; sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis delinuti, vel pro quibus majorum quis rogaverit.*

Un-

(a) Theodor. Hist. lib. 4. c. 6. (b) In vit. Barthol. de Martyr.

(c) S. Greg. ad Cler. Mediol. (d) Conc. Gen. Tom. 8. col. 591. edit. Labb.

(e) S. Hier. in ep. ad Tit. c. 1.

* 29. Unde vero hæc indiscretio magis succrevit, quam ex inæqualitate temporalium proventum, ex quibus oculi carnis beneficia Ecclesiastica æstimant? Monet S. Paulus (a): *Fiat æqualitas, sicut scriptum est: qui multum non abundavit, & qui modicum non minoravit.* Ecce inæqualitas proventuum indiscretiores provisiones, & sollicitationes peperit? Queritur Concilium Sardicense (b): *Ejus enim causæ prætextus est manifestus — nullus enim Episcopus, aut Clericus adhuc inveniri potuit, qui à majore, aut pinguiore civitate, locove ad minorem, tenuioremque transire studuerit.* Juxta S. Isidorum (c) recidisse jam Sacerdotii dignitatem ad regnandi cupiditatem apparet: ab humilitate ad superbiam; à júnio ad delicias prolapsam: à dispensatione denique ad dominium venisse. Ait S. Bernardus (d): *Cum primos honorum gradus meruerint in Ecclesia; mererunt autem vel vitæ merito, vel pecuniæ, seu etiam carnis, & sanguinis prærogativa, quæ regnum Dei non possidebunt: non ideo corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio, quo utique occasione pinguiorum proventuum, magis, ac magis & dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur.*

T I T. XV.

De Bonis Temporalibus Ecclesiæ.

C A P U T I.

De Peculio Clericorum.

1 **E**x sententia S. Hieronymi (e): *Ab Apostolis usque ad nostri temporis facem Ecclesia persecutionibus credit, Martyriis coronata est, & postquam ad Christianos Principes venit, potentia quidem, & divitiis major, sed virtutibus minor facta est.*

2 Primordiis Ecclesiæ Clerici fere omnes propria bona ignorarunt, aut enim pauperes eligebantur, aut tales, qui patrimonium suum in pauperes abdicarunt. Nonnulli, intactis proventibus ecclesiasticis de patrimonio proprio vivere voluerunt. Supersunt veteres auctoritates sparsim in Decreto Gratiani. c. 21. & passim XII. q. 1.

3 Hac occasione vetus invaluit regula, quod bona patri-

Ep. Van-Esp. Tom. II.

Aa

mo-

(a) II. Cor. c. 8. (b) Conc. Sardic. c. 1. (c) S. Isid. lib. 1. ep. 22.

(d) S. Bern. de Offic. Episc. c. 7. (e) S. Hier. in vit. B. M. Ich.

monialia cujusque Clerici discernenda essent à proventibus ecclesiasticis: & fere omnia bona censebantur esse ecclesiastica, quæ quis post ordinationem acquisisset, si aliunde non constaret, quod ea aut ante ordinationem habuisset, aut post ordinationem civili titulo, v. g. hæreditate obtinuisset. c. 1. XII. q. 1.

4 Novo jure hanc discretionem bonorum exemplo pecuniarum? quod servis, filiisque familias jus civile requirit, illustrare placuit. Sic enim ad peculium profectitium novi juris argumentis recidit, quidquid vel ex rebus, vel intuitu Ecclesie Clericus acquirit. c. 1. & passim de Pecul. Cler.

5 Rescripsit Alexander III. quod Clerici de his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, libere disponent, veluti jure patrimonii, aut titulo adventitii peculii valeant. De his tamen, quæ consideratione Ecclesie, utpote vel ex piis redditibus, vel ex functionibus sacri ministerii percipiunt, nullum de jure, quia ad peculium profectitium referuntur, possunt facere testamentum. Refert. c. 9. de Testam.

6 Clerici novo jure, ad exemplum peculii profectitii, fructus beneficii percipere, aut & suos facere dicuntur, quia dignus est operarius cibo, mercedeque sua. Expressit uberius hujus retributionis justitiam S. Apostolus (a) exemplo militis, Pastoris, & Agricola.

7 Suffragantur hæc exempla Clero industrioso, non otioso. Inquit S. Gregorius (b): Quid nos, o Pastores (quod tamen sine dolore dicere non possum) quid nos, o Pastores! qui mercedem consequimur, & tamen Operarii nequaquam sumus? Fructus quippe S. Ecclesie in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minime in predicatione laboramus. Pensemus, cujus damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris?

8 Absit, ut inde integram mercedem laboris mereantur, illi, qui vel alios sibi substituunt ad explendum divinum ministerium Vicarios, vel per brevem horam dicendo privatim divino officio vacantes, reliquum diem otiose transigunt. Clamat S. Bernardus (c): Væ, væ tibi Clerice! Mors in olla, mors in ollis carniū, mors in ejusmodi deliciis, non modo, quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maxime, quia constat, populi esse peccata, quæ comedis;

(a) I. Cor. 9. (b) S. Greg. hom. 27. in Luc.
(c) S. Bern. Declam. in Evang. Ecce nos reliq.

Cap 2.
De Tit.
Cler. in
perc. fruct.
Eccles.

sumptus ecclesiasticos te gratis habere reputas? Cantando, ut ajunt, bona tibi provenire videntur; sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare.

9 Quid indignus, quod ex sola consumptione Ecclesiasticarum rerum Clerici appareant nomen habentes Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei? Enimvero hæc nulla est idea Operarii mercede digni. L. 42. §. 10. C. de Episc. & Cler.

10 In reliquis Canonum argumentis nihil vulgatius est, quam bona Ecclesie vota fidelium, pretia peccatorum, patrimoniumque Christi, & pauperum dici; id ipsumque non aliunde, quam ex sententiis Patrum, Conciliorum, Pontificum, & reliquorum Episcoporum. Inquit S. Prosper, seu potius Julianus Pomerius (a): Unde datur intelligi, quod tantum, ac tales viri — scientes nihil aliud esse res Ecclesie, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, non eas vindicarunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt.

11 Inde S. Gregorius (b) & ipsum patrimonium Romanæ Ecclesie dixit esse patrimonium pauperum. Monuit S. Pontifex eo tenore Protasium, Aquensem Episcopum, ut Vigilio Arelatensi diceret, ut pensiones, quas Prædecessor ejus per plurimos annos percepit, & apud se de patrimonio nostro retinuit, ad nos, inquit, quia pauperum res sunt, studeat destinare.

12 Enimvero Ecclesie aliunde bona temporalia non obtigerunt, nisi ex oblationibus fidelium, qui ea Deo pro redemptione peccatorum voverunt, ut in piis eleemosynas erogarentur. Hinc & Principes eas rationes adduxerunt. Quia juxta SS. Patrum traditionem novimus, res Ecclesie esse vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum, cuique non solum habita conservare, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus. Refert. c. 59. XVI. q. 1.

13 Absit, quod Clerus vetus officium dediscere vel velit, vel possit. Ex sententia S. Bernardi: Res pauperum non dare pauperibus, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum sunt facultates Ecclesiarum.

14 Accrescentibus diversi generis Ecclesiarum possessionibus, & dynastiis, monet Synodus Tridentina Episcopos (c): Ne ex redditibus Ecclesie consanguineos, familiaresque suos auferre studeant; cum & Canones Apostolorum prohibeant, ne res

Aa 2

cc-

(a) S. Pom. de vit. conte mpl. lib. 2. cap. 39. (b) S. Greg. lib. 5. ep. 55.
(c) Trident. sess. 25. cap. 1.

Cap. 3.
De indol.
pior. reddit.

ecclesiasticæ, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sint, eis, ut pauperibus distribuant, eas autem non trahant, nec dissipent eorum causa.

Cap. 4.
De just. usu
prior. prov.

15 Quum tuum ex intentione offerentium, tum ex regulis Ecclesiæ pii reditus res Dei, patrimonium Crucifixi, pauperumque habeantur, Clericis eorum administratio ita relicta est, ut iis, veluti rebus Dei, & proventibus pauperum utantur. Præcipiunt Canones vulgo Apostolorum: *Nec liceat autem ex eis aliquid sibi vindicare, vel propriis cognatis, quæ Dei sunt, largiri. Sin autem sint pauperes, ut pauperibus suppeditet.* Et alibi: *Quodsi his Episcopus non sit contentus, & res in proprios usus convertat, Synodo Provinciæ pœnas persolvet.* Refert Gratianus cap. 22. & 23. XII. q. 1.

16 Hæc ideo, quia illæ facultates Ecclesiæ ipsi vel Episcopo, vel Clerico ad proprios usus non suffragantur, nisi ad simplicem necessitatem agendæ vitæ. Juxta Sanct. Chrysostomum (a): *Non dixit S. Paulus: quis militat, & non est dives? Sed quis militat suis stipendiis unquam? Neque dixit: Quis plantat vineam, & aurum non colligit, aut fructum integrum non vindemiat? Sed: ex fructu ejus non edit? Non ex agnis, sed ex lacte. Oportet enim habere fortitudinem militis, & agricolæ diligentiam, & curam Pastoris; & post hæc omnia nihil amplius querere, quam necessaria.*

17 Superest & hodie hæc disciplina. Inquit S. Bernardus (b): *Qui altario deservit, dignum est, ut & de altario vivat. Conceditur ergo tibi, si bene deservis, ut de altario vivas: non autem, ut de altario luxurieris; ut de altario superbias; ut inde tibi compare: fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, grisseaque pellicea à collo & manibus ornata purpureo diversificata. Denique, quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.*

18 Synodus Tridentina (c) veterum Canonum argumento præcipit Episcopis, reliquisque Superioribus, ut mores suos ita componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere Deo commendat, ancæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum Concilii Carthaginensis IV. monet, ut modesta suppellectili, ac mensa, frugali que victu sint contenti, & reliquo vitæ genere, ac tota domo caveant, ne quid appareat, quod non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præferat.

Di-

(a) S. Chrys. hom. 22. in epist. I. ad Cor. (b) S. Bern. ep. 2. ad Pulc.
(c) Trid. sess. 25. cap. 1.

19 Disertior est in eo genere argumenti S. Carolus in Conciliis Mediolanensibus ejus ævi. In Concilio Mediolanensi IV. (a) expresse omnes, quibus uberiores proventus sunt, monet: *Vos, item alii, quicumque estis, quorum fidei Christi patrimonium proprie ad divini cultus, pauperumque usum commissum est, cavete, ne ambitione, aut cupiditate prolapsi in alium, quam cui addictum est, convertatis, atque propterea sacrilegii rei damnationem æternam subeatis.*

20 Ast quid? An Clerici divites patrimonio, ex rebus Ecclesiæ vivere possunt? En veteres Canones! Juxta Canonem vulgo Apostolorum: *Ex his autem, quibus Episcopus indiget (si tamen indiget) ad suas necessitates, & peregrinorum fratrum usus & ipse percipiat, ut nihil ei possit omnino deesse.* Refert. cap. 22. XII. q. 1.

21 Quid clarius Decreto Concilii Antiocheni: *Episcopus, inquit, ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, & timore Dei. Participet autem & ipse, quibus indiget (si tamen indiget).* Quid opus fuisset tam expressa conditione, si patrimonio divites ex rebus Ecclesiæ, utpote patrimonio pauperum, vivere possent? ibi cap. 23.

22 Expressit eam conditionem & B. Augustinus: *Quæ tamen, utpote bona Ecclesiarum (si pauperum compauperes sumus) & nostra sunt, & illorum: si autem privatim, quæ nobis sufficiunt, possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Refert. cap. 3. XXIII. quest. 7.

23 Ait Synodus Aquisgranensis (b): *Nec illi, qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, accipiunt.* Quippe gratis non darent, quod gratis acceperunt, si pios proventus in suam sustentationem verterent, ut census patrimonialem, diminutis expensis quotidianis, auferent.

24 Superfuit hæc disciplina & ævo Gratiani: *Verum his auctoritatibus, inquit, prohibentur ab Ecclesia suscipi, non illi, qui quondam fuerant divites, postea vero omnia reliquerunt; ut Petrus, Mattheus, & Paulus; aut pauperibus distribuerunt; ut Zachæus; aut Ecclesiæ rebus adjunxerunt, sicut illi, qui prædia sua vendentes, ponebant pretia ante pedes Apostolorum, ut essent omnia communia: sed illi, qui in domibus parentum residentes, vel sua relinquere nolentes, ecclesi-*

(a) Conc. Mediol. IV. P. 3. cap. 7. (b) Syn. Aquisgr. cap. 107.

Cap. 5.
De Divis.
patrim.

siasticis facultatibus pasci desiderant. Quis enim dubitat, eum lucrum captare, qui ex alieno vivit, ut suis sumptibus parcat. Gratian. ad c. 24. XII. q. 1.

25 Censent recentiores Theologi, sententiam ita conciliari posse (a), ut dicamus, S. Prosperum, aliosque veteres auctores loqui de illis, qui plane sufficientem habent sustentationem ex patrimonio, aut beneficio: tunc enim alterum est superfluum, & proinde pauperibus debitum. Alios vero & recentiores auctores loqui de illis, qui neque ex patrimonio, neque ex beneficio sufficientem omnino sustentationem habent. Hi enim utrumque retinere possunt: modo ex utroque nihil accipiant ultra sustentationem decentem, juxta conditionem status. Quod enim vere superfluum est, dandum est pauperibus.

Cap. 6.
De Mod.
discipl.

26 Inde elucet, primogeniam hanc indolem bonorum ecclesiasticorum & hodie superesse, utcumque sæculorum lapsu alia, aliaque successerit administrationis forma. Inquit S. Augustinus: Habebat ergo Dominus oculos, & à fidelibus oblata conservans, & suorum necessitatibus, & aliis indigentibus tribuebat. Apud Gratian. c. 17. XII. q. 1.

27 Et alibi: Exemplum Domini accipite conversantis in terra: quare habuit oculos, cui Angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia sua oculos suos habitura erat. Quare furem Judam admisit, nisi, ut ejus Ecclesia ejus fures patienter toleret? Refert. cap. 12. ibi.

28 Reliquorum veterum Canonum argumento libera bonorum ecclesiasticorum administratio, dispensatioque penes quemque Episcopum stetit, ut tum suis, tum suorum (si vere egerent) necessitatibus provideret, reliquumque pauperibus erogaret. c. 22. 23. 24. XII. q. 1.

29 Placuit aliquando partitio. Sæculo IV. Ecclesiæ Romanæ consuetudo invaluit, ut unam partem Pontifici, alteram Clero, tertiam pauperibus, quartam fabricæ Ecclesiæ consignare placeret. c. 27. ibi q. 2.

30 S. Gregorius passim & aliis Episcopis hanc partitionem commendat. Apparet tamen hanc divisionem haud arithmetice fuisse institutam per æquales proportionem, sed variam fuisse secundum locorum consuetudinem, & circumstantias, quæ nunc majorem portionem in pauperes, nunc in Clericos, pro horum, illorumque indigentia, & numero impendendam suadebant. c. 29. & 30. XII. q. 2.

31 Hac occasione alibi tripartita, alibi nulla divisio apparuit. Nam hæc divisio piarum obventionum nihil immutavit.

Quip-

(a) Bellarm. de Cler. lib. 1. cap. 27.

Quippe hac divisione plus, minusque monebantur Episcopi, aut alii Administratores, ut fideliter proventus ecclesiasticos in præscriptos usus impenderent. Concilium Parisiense VI. (a) hinc statuit: Et licet crescente fidelium devotione copiosissimis, ac munificentissimis eorum liberalitatibus donata sit Ecclesia, eundem tamen usum Apostolorum Successores in tractandis, & dispensandis ecclesiasticis rebus se servare debere meminerint.

32 Novo jure administratio, & dispensatio proventuum beneficialium indivisim cujusque tituli Possessori libere relicta est, tacita tamen conditione, ut, procul à fastu & luxu, in præscriptos usus canonicos effunderentur, quia res transit cum suo onere. Hinc & Concilium Tridentinum (b), cui utique nova disciplina satis comperta fuit, exemplo veteris Concilii Carthaginensis justum usum piorum reddituum tum Episcopis, tum & reliquis Clericis commendat, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum; quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præferat.

33 Auctis bonis Ecclesiæ invaluerunt corruptelæ. Queritur S. Hieronymus (c): Nonnulli sunt ditiores Monachi, quam fuerant sæculares, & Clerici, qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace diabolo non habuerunt; ut susciperet eos Ecclesia divites, quos mundus antea habuit mendicos.

34 Hac occasione veteri cautela opus fuit, ut reprimerentur studia eorum Ministrorum, qui, præterita cura pauperum, pietatem in quæstum verterant, ut pios proventus, quibus suum patrimonium auxerant, per testamentum in suam familiam transmitterent. Sanxit Concilium Antiochenum, facultates ecclesiasticas à patrimonialibus Cleri discernendas esse, quia has in pios usus reservari oporteret. c. 21. XII. q. 1.

35 In Oriente de Episcopis edixit Justinianus Imper. eos nullo modo habere facultatem testandi, vel donandi, vel per aliam quamcunque excogitationem alienandi quid de rebus suis, quas, postquam facti fuerint Episcopi, possederint, vel acquisierint, vel ex testamentis, vel donationibus, vel alia quacumque causa, exceptis duntaxat his, quas ante Episcopatum habuerunt ex quacumque causa, vel quæ post Episcopatum à Parentibus, vel Theis, hoc est, Patruis, Avunculis, & fratribus ad ipsos pervenerunt, vel perventuræ sunt. L. 42. §. 2. C. de Episc. & Cler.

36 In Occidente de Episcopis æque, ac de reliquis Clericis sta-

(a) Conc. Paris. VI. lib. 1. cap. 15. (b) Trident. sess. 25. cap. 1.

(c) S. Hieron. ep. 2. ad Nepot.

Cap. 7.
De Test.
Cleric.

statuit Concilium Agathense, ut de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, hæredibus suis, si voluerint, derelinquant. Quidquid vero de provisione Ecclesiæ suæ fuerit, sive de agris, sive de fructibus, sive de oblationibus omnia in jure Ecclesiæ reserventur. Refert. cap. 19. XII. q. 1.

37 Jure novo superest rescriptum S. Gregorii, ut, discretis rebus patrimonialibus, quidquid Ecclesiæ ipsius esse cognoscitur, vel in Episcopatus ordine acquisitum apparet, in ejusdem Ecclesiæ conservetur dominio, ne quisquam exinde aliquid usurpare qualibet occasione præsumat. In compilatione Decretalium hoc Decretum Gregorio IX. per errorem inscribitur. c. 1. de Testam.

38 Reliquis argumentis Decretalium vetus disciplina instauratur. Præcipit Concilium Lateranense III. bona ecclesiastica, sive ex rebus Ecclesiæ, sive consideratione Ecclesiæ acquisita penes Ecclesias, sive intestati Clerici decesserint, sive aliis conferre voluerint, esse conservanda, tum mobilia, tum immobilia. c. 7. ibi.

39 Inter hæc exempla probavit tamen Alexander III. consuetudinem, quod Clerici de mobilibus per Ecclesiam acquisitis ad pias causas, vel remunerationis gratia in favorem domesticorum moderate testari possent. c. 12. de Testam.

40 Consuetudo, quæ hic non improbanda dicitur, per relationem ejusdem rescripti Pontificii in Decretales Gregorii IX. quasi jure probata, & firmata fuit: tandem etiam pro jure invaluit. Unde & in Synodis postea passim permittitur Clericis de mobilibus sub moderationibus in citato rescripto Alexandri III. appositis testari. In Germania tamen Episcopi, aliique Prælati eatenus veteri rigori subsunt, ut testari non possint, nisi Indultum Papæ meruerint.

41 Synodus Osnabrugensis ann. 1628. his rationibus instruxit Clericos (a): Cum in officiis charitatis, ac piæ remunerationis primo loco illis teneamur obnoxii, à quibus beneficium nos cognovimus recepisse, facile intelligunt omnes Ecclesiarum nostrarum Clerici, & beneficiati, qui de Ecclesiæ stipendiis, ac redditibus vivunt, ut de iis, quæ ex justa suarum rerum dispensatione supersunt, in supremæ voluntatis declaratione, non ex carnali affectione, sed pro Ecclesiæ Dei utilitate disponant &c.

Cap. 8.
De Succes.
Cler. ab in-
test.

42 Hæc prope & fata fuere successio-
rum ab intestato. Si aliquando hæredes legitimi deessent Clericis, statuit Justinianus Imp., ut & in patrimonialibus succederet Ecclesia: quia & laicorum hæreditas, deficientibus legitimis hæredibus, præ fisco

cor-

(a) Syn. Osnabr. P. 2. Tit. 11. §. 1.

corporibus illis, quibus adscripta in vita fuerant, deferebatur. L. 20. C. de Episc. & Cleric.

43 Jure Decretalium declarat Alexander III. in bona ecclesiastica, ab intestato relicta, succedere Ecclesiam; ita quidem, ut nomine Ecclesiæ non Episcopus, vel Successor Clerici, ubi est Collegium Clericorum, sed ipsa communis congregatio, quæ rerum illarum canonicam distributionem, & curam habet, intelligatur: ubi autem in locum defuncti tantum unus est ordinandus, is relicta bona (sicut alia ipsius Ecclesiæ) in Dei timore dispenset. c. 12. de Testam.

44 Inter ea tempora nonnullibi invaluit usus, quod alii sæpe titulo vel privilegii, vel consuetudinis intestatorum Clericorum hæreditates sibi vindicarent. Repressis corruptelis legitimos titulos probavit Bonifacius VIII. cap. 9. de Offic. Ordin. in 6.

45 Concilium Constantiense (a) hac discretionem vetat, per Episcopos, & inferiores Prælatos bona decedentium Canonico-
rum præter, & contra juris dispositionem occupari: Constitutione Bonifacii VIII. — super hoc edita, specialiter in suo robore duratura.

46 Hac occasione sæpe consultius visum est Clericis, ut, ad excludendum jus, ut vocabant, spoliis testandi facultatem impetrarent. Decidit Innocentius III. & illum Clericum testatum, ad jus spoliis removendum, censi, qui extremam voluntatem in arbitrium tertii remisit. c. 13. de Testam.

47 Forte tam diversi tituli successio-
rum exemplo feudi, invaluerunt. Sic enim & ipsi Principes aliquando jus spoliis sibi in hæreditates intestatorum Clericorum vindicarunt, donec jus illud spoliis Fridericus II. Rudolphusque I. ejurasset.

48 Recentiores Pontifices alibi jus spoliis sibi titulo vindicandorum Canonum arrogarunt. In Gallia Principes Jus Papalis spoliis suppresserunt. Germanis per Decretum Concilii Constantiensis (b) adversus recentiores Curia prætensiones consultum est.

49 Inde passim eo deventum est, ut legitimi hæredes sibi successio-
nem intestatorum Clericorum in acquæstibus ecclesiasticis æque, ac patrimonio reliquo vindicent, ea tamen conditione, ut oneribus beneficii satisfaciant, quia res transit cum suo onere. Arg. c. 9. de Offic. Ordin. in 6.

50 Quantum ergo illa successio acquæstus ecclesiasticos spectat, fructus non tantum percepti, sed & percipiendi ad hæredes devolvuntur pro rata præstiti servitii. Receptum inde Ep. Van-Espen T. II. Bb

(a) Conc. Const. sess. 39. de Spol. (b) Conc. Const. supr.

est, esse aliquando dividendos pro rata temporis, quo onera beneficii defunctus tulit; eodem modo, quo fructus dotis soluto matrimonio bipartiri solent. In pluribus Ecclesiis receptum est, annum divisionis, veluti mortualem computari à festo S. Joannis, vel alterius Sancti, quia ab eo die annus residentiae inchoari solet.

51 Inter Canonicos aliquando annus gratiae receptus est, tum ad expungendum æs alienum, tum ad surrogandos sumptus funerales, tum denique ad supplendos annos carentiæ (a). In Germania superest vetus Concilii Trevirensis de ann. 1310. Decretum, ut nulli Canonico talem annum, talisque anni redditus liceat retinere.

52 In reliquis haud excusantur hæredes ipsi, quin acquæstus ecclesiasticos (b), in quantum à patrimonialibus discernere possunt, in pias causas erogare teneantur, quia res transit cum suo onere. Cum Guilielmo Episcopo Parisiensi aliquando nuntiatum esset, sibi ex hæreditate Canonici cujusdam tria Marcarum millia ab intestato obtigisse, præcepit mox pecuniam in usus pauperum erogari.

* 53 Quid igitur in morali doctrina reliquum est, quam Clericos, si in vivis suo officio erga pauperes defuerint, sui periculi in rationibus divini judicii monere? En sententiam S. Hieronymi (c): *Amico quippiam rapere furtum est, Ecclesiam fraudare sacrilegium est. Accepisse, quod pauperibus erogandum est, & esurientibus plurimis vel cautum esse, vel timidum; aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. — Optimus Dispensator est, qui sibi nihil reservat. Juxta Concilium Matisconense II. (d) Qui oblationes fidelium — quæ Ecclesie conferuntur, retinent, veluti retentatores Ecclesie, aut egentium necatores, ab Ecclesie liminibus arceantur. Capitularium hæc est sententia (e): *Ne cui liceat res, vel facultates Ecclesiis, vel Monasteriis, vel Xenodochiis pro quacunque elemosyna cum justitia delegatas retinere, alienare, atque subtrahere. Quod si quis fecerit, tanquam neciter pauperum, antiquorum Canonum sententiis constrictus ab Ecclesie liminibus excludatur, quandiu ab ipso ea, quæ sunt oblata, & retenta, restituantur. Quis disertior in eo genere argumenti S. Bernardo (f)? *Clamant nudi, inquit, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: — vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris***

(a) Marten. Tom. 4. append. col. 247. (b) Thom. Cantuar. lib. 2. c. 55.
(c) S. Hieron. ep. ad Nepot. (d) Synod. Matiscon. II. cap. 4. (e) Cap. Franc. lib. 6. c. 136. & lib. 7. c. 49. (f) S. Bern. ad Henr. Sen. cap. 2.

necessitatibus subtrahitur, quidquid accedit vanitatibus vestris &c. Caterum stabunt in futuro in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt: stante quippe pro eis Patre orphanorum, & judice viduarum. Ipsius enim tunc vox erit: *quandiu non fecistis uni de his minimis meis, nec mihi fecistis.*

TIT. XVI.

De Decimis, & Oblationibus.

CAP. I.

De Origine, & Jure Decimarum.

1 **I**nsit Concilium Nannetense (a): *Instruendi sunt Presbyteri, pariterque admonendi, quatenus noverint decimas, & oblationes, quas à fidelibus accipiunt, pauperum, & hospitum, & peregrinorum esse stipendia, & non quasi suis, sed quasi commendatitiis uti. De quibus omnibus sciant, se rationem posituros in conspectu, & nisi eas fideliter pauperibus administraverint, damna passuros.*

2 En brevem rerum Synopsis? Judæi (b), Deo decimas, & primitias fructuum ad sacrificia, & vota offerre assueti, idem institutum sub Evangelio urgendum censuerunt: Pagani autem, ad Christum conversi, maximos sumptus in sacrificia idolorum, & profana spectacula impensos, bonis operibus deputarunt. Constat inde à principio fidelibus decimarum, & primitiarum oblationes fuisse commendatas. c. 65. & 66. XVI. quæst. 1.

3 Hactenus tamen Christiani de decimis, & fructuum primitiis, & aliis oblationibus æque, ac de cæteris elemosynis in pauperes conferendis movebantur, & singulorum pudori relinquebatur: velletne dare; an non dare. Hortabatur quidem S. Hieronymus (c) populum ad Decimarum solutionem: sanctus quoque Joannes Chrysostomus (d) earum solutionem omnimodis suavit, nec minus eas commendavit S. Augustinus (e): nullum tamen rigorosum tunc temporis adhuc erat præceptum de decimis. Exeunte sæculo VI. Episcopi in negligentes decimas dare censuras strinxere. Inde in Oriente eas exactiones Justinianus suppressit. L. 39. §. 1. C. de Episc. & Cler.

Bb 2

In

(a) Conc. Nannet. c. 10. (b) Fleur. J. E. P. 2. c. 10.
(c) S. Hier. in c. 3. Malach. (d) S. Chrys. hom. 11. in ep. ad Eph.
(e) S. Aug. in Psalm. 146.